


99 F 243





ΣΤΝΘΕΩ.

THEMATA PHYSICA.

DE PRINCIPIIS  
RERUM NATURALI-

VM EX SUMMI PHILOSOPHO-

rum libro περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως pri-  
mo potissimum depromta.

Quæ

D. O. M. A.

IN

Illustri VVitebergensium Academia

Sub præsidio

M. ZACHARIÆ SUMMERI  
Fridebergensis Sil.

*Tutori conabitur.*

HENRICVS BACHMAN KREN-  
tzhemianus Lignicensis Silesius.

*Habebitur disputatio 4. Idus Julij horis  
& loco consuetis.*



*A. S. Respondente.*



Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including the name 'D. O. M. J. J. J.' and 'Halle'.



99 7 243

9



REVERENDO, CLARIS-  
SIMO, ATQVE DOCTISSIMO VIRO,  
domino LEONHARDO KRENTZHEMIO ab Ip-  
hofen, pastori, in aula Generosi Domini ADAMI  
SILBERI à SILBERSTEIN, uigilan-  
tissimo, suauissimo Domino Auo suo,  
omni observantiæ cultu di-  
gnissimo.

NEC NON

NOBILISSIMIS ET CLARIS-  
SIMIS VIRIS, DOMINO LEONHARDO  
Krentzhemio, ab Iphofen, *Medicinæ & Philosophiæ Doctoris*  
& Domino HENRICO KRENTZHEMIO ab  
Iphofen, *poëtæ Cæsareo coronato, & Medicinæ*  
Candidato, Clarissimis Dominis Auunculis  
& Patronis suis plurimum  
colendis.

S.

**S**iquidquam ullo tempore, Reveren-  
de, Clarissime, Doctissime, omniq; observantiæ cultu  
dignissime Domine AVE: Atq; Nobilissimi &  
Clarissimi Domini Auunculi, mihi in votis fuit, &  
adhuc est, illud medijsfidius non postremum locum obtinet, ut  
mibi facultas offeratur, gratum erga vos animum meum mani-  
festissimis prodere indicijs. Ad quod sanè me cum lex naturæ,  
iubens, mandans, atq; imperans, parentibus, cognatoq; sanguini  
mutuam gratiam, summa cum benevolentia & alacritate referre,  
inflammavit, tum amor vester erga me mirificus ac singularis,  
qui ex innumeris, quibus me vobis obstrinxistis beneficijs, lucu-  
lenter effulget, impulit. Non solum enim inprimis, pupilla oculi  
mei charior suauissime Domine AVE, mihi pupillo humanis  
rebus iam exemptis charissimis meis parentibus, hospitium be-  
nigne

A 2

nigne

nigne concessisti, me Nepotem, (quid dico Nepotem) imò filium  
ut decet educaſti, victum & amicum ſuppeditaſti: ſed & ad bona-  
rum literarum ſtudia cognoſcenda, veram DEI religionem ad-  
diſcendam, animiq; culturam percipiendam, mihi nec re, nec  
conſilio unquam deſuiſti, atq; ita prorsus nihil intermiſiſti, quo  
animum tuum erga me paternum declarares & ſatis abundè pro-  
batum redderes: Quippe & hoc non leve argumentum eſt Pa-  
terni favoris & amoris, quod me in filium adoptaſti, meq; no-  
mine & C O R O N A tua pulcherrima nobilitaſti: Si mihi ſint  
centum linguæ, oraq; centum, magnitudinem tamen tuorum in  
me meritorum, eò quo par erat, elogio & eloquio celebrare mini-  
mè valerem. Cæterum & cum tuis ſumptibus in hanc inclytam  
Witenbergensium Academiam, ad mercaturam bonarum artium  
miſſus ſim, meq; iam in diſputationibus phyſicis exercere, præ-  
ſertim cum phyſica ſit tanquam clavis ad Medicinam, & omnia  
ſua principia, teſte Ariſtotele, Medici ex phyſicis ſumant, o-  
peræ precium duxerim: Tibi Reverende & Obſervande  
Domine AVE, nec non vobis V I R I Nobiliſſimi & Clariſ-  
ſimi Domini Auunculi & patroni mei plurimum colendi, quibus  
iidem propter cognationis vinculum multa debere, fateor, haſce  
poſitiones phyſicas, in ſtudiorum meorum argumentum & grati-  
animi ſymbolum, offero, dedico, conſecro, humiliter rogans & ob-  
ſecrans, ut hoc levidenſe munuſculum animo accipiatis benevolo,  
meq; veſtrum Filium, Nepotem & Clientem humilimum atq; obe-  
dientiſſimum, fideliffimè commendatum habeatis. Ego ſanctè polli-  
ceor, me nõ ſolum memoriam horum ampliſſimorum beneficiorum  
conſervaturum ſed etiam omnib; quibus poterò officijs, omni tem-  
pore vos culturum & obſervaturum, omnemq; meam operam &  
induſtriam ad gloriam nominis DEI, ſalutem Eccleſiæ, utilita-  
tem ſcholarum, honorem Reipublicæ, & veſtrorum deniq; decus  
eſſe relaturum. Bene & fœliciter Valete. Wuenbergæ ex Muſeo.  
Anno cl. 13. XCV. 3. Nonas Julij.

F. N. O.

Henricus Bachman Krentzhe-  
mianus Lignicenſis Sile-

# THEMATA DE PRINCIPIIS Physicis.



Um principia sint fontes, unde pro-  
manat omnis de re noticia: Si respicias ad  
illum, qui circa rei naturam cognoscendam  
versatur: vbi & intra rem ipsam sunt veluti  
clavi, à quibus τὰ ποσὶ τὰ ποῖα, τὸ ποῖν, τὸ πάσχειν, quin &  
τὸ πᾶ atq; etiam τὸ ποτὲ originaliter dependent: quod &  
Aristoteles in ἀκροάσεως physices atrio statim expressit:  
τὸ τεοίριεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἰτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶ-  
τα, καὶ τὴν ἀρχαὶς τὰς πρῶτας μετὰ τῶν στοιχείων, id est, Tum  
existimamus nos cognoscere rem quamlibet, quando  
perspectas habuerimus causas primas & principia pri-  
ma ad elementa usq;: operæ precium est, de hac mate-  
ria in physicis præstantissima imò totius physices fun-  
damento συζήτησιν instituire.

Aristoteles  
phys. lib. 1.  
cap. 10

II. Etsi verò variæ principiorum sint differentia &  
distinctiones, varijsq; rebus accommodari possint & tri-  
buantur, ut quædam τεχνικὰ five principia cognoscendi  
appellentur: quædam πρῶτα τῶν ὄντων, seu principia ef-  
fendi, aut realia, quæ rursus variè distinguntur: Nos  
tamen omisis reliquis de physicis, ex quibus res tum  
per se sunt, tum ex accidente, iam agere constituimus.

Aristoteles  
5. Metaph.  
cap. 10

III. Principia verò Aristoteles ita describit, quando  
dicit: Ea oportere μήτ' ἐξ ἀλλήλων εἶναι, μήτ' ἐξ ἄλλων, καὶ  
ἐκ τῶν πάντων, hoc est, principia neq; ex alijs gigni de-  
bere, neq; ex se mutuo, sed ex illis alia omnia oriri.

lib. 1. phys.  
cap. 5.

IV. Clarior & convenientior, quam aliàs ponit, est  
hæc: Principia physica sunt fundamenta naturalium  
corporum, & ortus & interitus rerum, quæ neq; ex se  
mutuo, sed universa alia ex ipsis oriuntur.

V. Rectè dicitur, Principia non oportere ex se ipsis  
esse mutuo: Si enim essent ex se mutuo, essent tantum

Tol. in phys.  
Aristotel. lib. 1.  
cap. 5.

A 3

principia

Perer. l. 4.  
cap. 5.

principia secundum quid: quia enim sese mutuo parent, ea non essent principia, & digna principiorum nomine, sed essent potius principiata: Quicquid enim ex alio est, principium non est.

**VI.** Sed cum varij, certi tamen de numero principiorum assertatores sint, nostrum erit, istas & multiplices de numero principiorum opiniones, quantum fieri potest, recensere, falsas reijcere, unam vero certam, rationiq; maximè consentaneam retinere & confirmare.

Aristoteles  
phys. l. 1, c. 2.  
Perer. lib.  
4. cap. 5.

**VII.** Alij igitur unum principium dixerunt quod magnitudine vel finitum est, vel infinitum: alij plura, quæ vel numerari possunt, vel numero sunt infinita.

Phys. lib.  
2, 3, 4.

**VIII.** Qui unum statuerunt principium, sunt Parmenides & Melissus, contra quos Aristoteles fuse disputat, ubi & de illis fertur hæc sententia: ἀμφότεροι ἐριστικῶς συλλογίζονται καὶ μελισσος, καὶ Παρμενίδης, καὶ γὰρ ψεῦδη λαμβάνουσι, καὶ ἀσυλλόγιστοι εἰσι. μᾶλλον δὲ ἢ τῶ μελισσος φορτικὸς λόγος καὶ οὐκ ἔχει ἀπορίαν: id est, Uterq; contentiosè ratiocinatur: Melissus nimirum & Parmenides: mendacia enim sumunt, & non concludunt in figura: magnis tamen Melissi ratio insolens molesta est, nec ullam habet dubitationem.

Vide Zab  
bar. ad Cont.  
5. 1. lib. post  
anal.

Perer. l. d.

**IX.** Ita enim videtur Melissus ex sententia Simplicij argumentari: Quicquid factum est, id principium habet. ENS factum non est, (ENS enim statuit illud unicum principium): Nam si factum est, aut ex ENTE factum est, aut ex non ENTE. Sed neutrum est verum; nam ex non ENTE id est, ex nihilo, nihil fit: neq; ex ENTE factum est ENS. Quia ante primū ENS nō erat aliud ENS. Cum igitur ENS factum non sit, sequitur, illud omnis principij expersesse, & propterea quoq; infinitū existere.

Aristoteles  
phys. lib. 1.  
cap. 3.

**X.** Huic argumentationi respondens Aristoteles dicit: cum in Materia tum etiam in Forma vitiosam esse illius ratiocinationem: in forma, quia minorem in prima figura



ma figura facit negantem: in materia, cum Melissus  
omnia unum E N S infinitum esse dixisset, infert; infini-  
tum nulli per se inest, nisi quantitati, si igitur quantitas  
est illud infinitum E N S, quantitas verò non potest esse  
absq; substantia: Ergo non unum E N S sed duo omnia  
sunt; quod si substantiam tantum constituat, non fuerit  
infinita, cum desit quantitas, ut Aristoteles etiam lu-  
culentius refutat. Sed nos dum sumus Christiani, eti-  
am dicere possumus, non posse E N S infinitum statui  
principium, cum sciamus ex divinis oraculis, quibus fir-  
miter credimus, E N S sive totum universum aliquando  
cæpisse, & à DEO esse creatum.

XI. Quod si non physicè intellexerit E N S, sed The-  
ologicè, & ad D E V M retulerit, quod & Simplicius  
Aristotelis interpens, & Alexander, nec non Theophra-  
stus Aristotelis discipulus referre videntur, haudqua-  
quam Melissus culpandus aut reprehendendus, multo  
minus refutandus est.

XII. Refert n. Simplicius: ὅτι τὸ αἰὼν ἔκ ἐγένετο, ἐστὶ τε,  
καὶ αἰὼν ἦν, καὶ ἔσται, καὶ ἀρχὴν οὐκ ἔχει, ἔσθι τελευτὴν, ἀπειρὸν  
ἔστιν, id est, Quod igitur factum non est, sed est, & erat  
semper, futurumq; est, & nec principium habet, neq;  
finem, infinitum est.

XIII. Et alibi idem clarius affirmat quando dicit:  
ἐπιτὶ φυσικῶν στοιχείων λέγουσιν ἔστι: ἀλλὰ περὶ τῶν ὄντως ὄντων, φα-  
νερόν ἐν, ὅτι περὶ τῆς νοητῆς καὶ πρώτης ἀρχῆς διαλεχθῶσιν: id est,  
Non de elemento physico loquuntur illi, sed de aliquo,  
quod realiter existit. Perspicuum itaq; quod de intel-  
ligibili primo principio differverint, & citat testem ip-  
sum Theophrastum, Aristotelis discipulum.

XIV. Imò Aristoteles ipse dicit: Xenophanes au-  
tem qui primus inter hos unitatem posuit, (Parmenides  
enim huius dicitur fuisse discipulus) nihil perspicuè tra-  
didit, neq; alterutram horum naturam saltem attigisse  
videtur:

Porro lo. do

Met. lib. 1.  
cap. 5.

videtur: sed in vniversum coelum respiciens, unum illud dicit esse D E V M.

XV. Alexander regius Aristotelicae philosophiae professor idem attingit: ait enim: ὁ παρμενίδης, καὶ ὁ μέλιστος φιλοσοφῶντες περὶ ἀρχῆς, λέγουσι πρῶτον ὄντων, ὃ καλεῖται τὸ θεόν, id est, Parmenides & Melissus quando philosophantur de principio, primum ENS ingerunt, quod solemus appellare D E V M.

XVI. Quare si non physicè sed Theologicè illud unum ENS intellexit, uti testantur iam citati philosophi, nihil absurdi statuit.

Thales A/  
quam.  
Anaximanes  
aerem.  
Heraclitas  
ignem.  
Perer. lib.  
4. cap. 6.

XVII. Qui deindè unum aliquod ex elementis principium rerum naturalium esse tradiderunt, non indigent refutatione, cum ipsa elementa non sint planè simplicia & prima, sed potius principiata, & mutationibus obnoxia, quod de principijs dicere esset absurdum, sic enim haudquaquam principiorum nomine forent digna.

*Tantum de illis, qui unicum statuerunt principium, sequuntur qui plura esse docuerunt.*

Perer. lib.  
4. cap. 7. XVIII. Qui plura fecerunt, nonnulli numero infinita, eaq; vel eiusdem speciei, vel diversarum: nonnulli verò finita fecerunt, atq; ea, vel duo, vel tria, vel quatuor.

Perer. lib.  
4. cap. 9. XIX. Principia eiusdem speciei infinita introduxit Epicurus, illaq; τὰς ἀτόμους statuit, è quibus haec ingens mundi machina, ut & alij mundi innumerabiles, confluxerit.

XX. At atomos illas asseverabat tenuissimas mundi particulas: tam tenues, ut tenuitate vincerent vel tenuissima in mundo: easq; aut esse illa corpuscula, quae splendente sole in eius discursent radijs: aut esse corpora

pora illis adhuc tenuiora : nam in Epistola ad Herodotum expressè ait : nunquam *ἄτομος* sensu visa est.

XXI. Stolidus Epicurus, qui ausus est statuere mundi principia ea : quæ nec sensu nec ratione possunt percipi : non sensu, ipse enim confitetur : nec ratione, nam rationem afferat, eâq; convincat nos & acquiescemus.

XXII. Infinita ergò principia esse nequaquam possunt, cum enim corpora ex principijs orta sint finita, principia quoq; finita esse oportet, siquidem nullum corpus ex principijs infinitis, nisi & ipsum infinitum sit, constat : quod si principia essent infinita : essent ignota : si principia essent ignota, etiam principiata, & sic rerum naturalium rueret scientia.

XXIII. Principia infinita diversarum specierum statuit Anaxagoras, quæ *ὁμοιομερῆ*, id est, similia vocavit, in quolibet corpore *ἐντελεχεία* inesse, ex quorum secretionem & concretionem quodvis ex quolibet generaretur, sibi persuasit, ubi illud maximè inculcabatur : *πάν ἐν παντί μέμικτο* : quidvis cuiusvis immixtum est.

XXIV. Sed hoc non posse stare, nec principia ex sese mutuo generari, iam supra ostensum est : principia enim non essent, sed potius principiata ; imò hac ratione principia inter se forent *ὁμογενῆ*, & eandem participarent naturam, quod esset absurdum.

XXV. Reiectis iam eorum, qui infinita principia somniarant, opinionibus, ad illorum, qui finita statuerunt principia, opiniones accedamus. Hic primum se offert Empedocles, qui duo statuit principia, Litem & Amicitiam. Hæc principia licet sint contraria, tamen non eodem modo cum Aristotelis sunt contraria. Lis enim amicitiae *ἑπικῶς* opponitur : privatio verò formæ *στρηπικῶς*.

XXVI. Deinde physicus materiam considerat, & inquit potius materialia principia, quàm *νοητὰ*, quæ

B

Empedocli

Aristoteles  
lib. 3. phys.  
cap. 4.

Aristoteles  
lib. 1. phys. cap. 4  
Perer. lib.  
4. cap. 8.

Aristoteles  
lib. 1. cap. 6.

Empedocli magis quam ὕλη καὶ siue materialia placuerunt.

XXVII. Ad illos tandem pervenimus, qui tria rerum naturalium principia docuerunt, suntq; Plato & Aristoteles: Ille DEVM, Materiam, & Ideam; hic verò Materiam, Formam & privationem statuit.

XXVIII. Plato igitur absq; dubio erravit primò in illo, quod DEVM Physicum principium posuerit, cum DEVS sit causa efficiens totius mundi, nec non principiorum.

XXIX. Deinde Ideæ illæ, quas ipse singularium specierum, & omnium rerum divinas, & æternas formas in mente formatas intellexit, revera nihil sunt, cum nec illæ usquam extent, quanquam Plato eas actu, & per se extra materiam existere putavit contra omnem rationem.

XXX. Materiam deniq; cū privatione unum quid, tam ratione quàm subiecto esse, atq; ideo internam habilitatem quandam ad rerum generationem in natura à Materia & Forma esse posse docuit, quod tamen falsum. Materiam enim à privatione distinguimus, & Materiam numero quidem unum, ratione verò & virtute duo dicimus, in eaq; duas diversas naturas consideramus, Materiam ipsam, & ei perpetuò adhærentem Privationem. Materia enim se ipsam ad generationem non excitare valet, nec forma extrinsecus Materiam ingreditur, ideo necessarium est principium Privatio, quæ introducat formas, & formarum appetitum in Materia excitet.

XXXI. Deniq; Medici, Hippocrates & Galenus quatuor elementa statuerunt principia: verum cum nō sint simplicia, non possunt esse principia, sed potius principiata.

Plotinus  
fol. 49.

Plato in Timæo  
Parmenide  
Phædron  
Hippiam de pulchritudine  
Chronologia

Aristoteles  
physic. lib. 1.  
cap. 8.

Empedocli

B

Tantum

*Tantum de Opinionibus falsis: Sequitur vera  
quæ est Aristotelis.*

XXXII. Aristotelis igitur sententiam nos cum alijs sanè philosophantibus, tanquam optimam, & veritati maximè consentaneam recipimus & confirmamus.

XXXIII. De his autem principijs tractat Aristoteles cùm in genere de omnibus, tùm in specie de singulis.

XXXIV. In genere numerum principiorum eruit, & duo facit principia per se, Materiam nempè & Formam: unum verò per accidens, nimirum privationem, unde & interdum, principia esse contraria, interdum non esse contraria, dixit.

Aristoteles  
phys. libro. 1.  
cap. 7.

XXXV. Principia autem esse contraria, Aristoteles maximè collegit ex inductione, ex singulis enim, quæ fiunt, colligit hanc universalem: OMNE QVOD FIT, EX SVO CONTRARIO FIT.

Zabar. de  
materia pri  
ma lib. 1. cap.  
2.

XXXVI. Nam quicquid generatur, transit de esse privato, ad esse positivum: ut generatio ignis est à non igne in ignem mutatio &c. Quod verò corrumpitur, transit de esse positivo & affirmato, ad esse privatum; ut corruptio ab igne in non ignem.

Zabarcl. 1.  
d. Arist. phys.  
lib. 1. cap. 5.

XXXVII. Hoc cum ita se habeat, oportet ut alterum contrarium sit nobilius, alterum verò ignobilius, & unum sit habitus quidam & forma, à qua res habet, ut sit: alterum verò illius formæ privatio, quæ significat non esse illius rei cum potestate ad formam oppositam.

Zabar. 1. d.

XXXVIII. Verùm præter ista duo contraria oportet aliquod esse subiectum, quod recipiat illa. Non enim per se sola subsistere, atq; aliquam essentiam producere possunt, nisi habeant aliquod substratum subiectum, in quo fiat ista productio.

Zabar. libo  
de materia  
cap. 3.

XXXIX. Nam ista duo contraria vel solitaria vel

B 2

simul

simul iuncta, aliquam rem producent, sed unicum contrarium nequaquam ex se procreare aliquid potest, ut ex superioribus liquet. Duo verò contraria potius se invicem destruent, quam ut aliquid de se procreent: nullum enim contrarium sustinet alterum, aut ex ipso aliquid facit.

Zabar. l. d. XL.  
Flaminus  
Quæst. natural.  
lib. 1.

X L. Imò si accidentia, cum per se ipsa existere nequeant, subiecto egent, ex quo orientur, & cui innitantur: Cur non in generatione substantiali materia sit ex qua fiat generatio?

Zabar. l. d. XLI.

X L I. Sicut enim caliditas & frigiditas per se non possunt transmutari, nisi substratum habeant aliquod subiectum, in quo mutantur: ita quoq; aër ex aqua non poterit generari, nisi sit aliquod subiectum, in quo illa generatio fieri possit: aliàs enim aqua tota interire, & aëris substantia ex nulla præexistente materia generari videretur: Et hoc subiectum in generatione substantiali

Metaph. 8.  
text. 12.  
Alexan. lib. 1.  
natural. quæst.  
cap. 17.  
Arist. in categ.  
subst.

MATERIA PRIMA usitatè appellatur. Differunt enim Materia & subiectum: Materia quidem propriè dicitur ratione formæ substantialis cuiuscunq;: Subiectum verò dicitur ratione formæ accidentalis. Accidentia enim propriè non habent materiam, neq; forma substantialis inest in subiecto: nulla enim substantia est in subiecto, nam hoc solummodo accidentibus est proprium.

Aristoteles  
lib. 1. cap. 7.  
Zabar. de prim.  
ma materia  
lib. 1. cap. 2.

X L II. Sic ergo in omni mutatione, tam simplici, quæ generatio ἀπλῶς dicitur, qua simpliciter aliquid fit, quod antea non fuit: quam in generatione κᾶτὰ τι, quæ accidentium est, quæq; illa dicuntur fieri, quæ manent quod erant, pristinamq; substantiam retinent, sed novum aliquod accidens, quo antea carebant, acquirunt, subiecta materia opus est: id quod etiam in omnibus motus speciebus, tum naturalibus tum artificiosis, quibus aliquid simpliciter oriri dicitur, est satis evidens.

XLIII. In

XLIII. In hanc materiam, quando introducta est forma, generatio absoluta dicitur. Atq; ita evidenter liquet, duo tantum esse principia, ex quibus res composita & constituta sint. Tertium autem principium, Privatio nempe, necessariò ad generationem requiritur, cum materiae, quae omnibus formis caret, habilitatem conciliet, ut subindè alias atq; alias formas recipere possit. Et quia in re constituta sive genita non permanet, sed permutatur suo contrario, principium secundum accidens appellatur, estq; numero idem cum subiecto, ab illo tamen ratione discrepat.

*Tantum de principijs in genere, sequitur de singulis in specie, & primò de Materia*

XLIV. Materiam primam verò dupliciter cum lucidissimo Themistio consideramus, absolutè nimirum, quatenus est ENS: & relatè, quatenus est principium, & refertur ad alia.

XLV. Absolutè consideratae Materiae primae tribuimus negationem formarum, nec non dimensiones & quantitatem: Et ut Aristoteles loquitur: Materia secundum se, non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid aliorum praedicamentorum, nec privationes horum, sed haec omnia ex accidenti.

XLVI. Si enim ipsa Materia prima, in sui prima consideratione accepta, actum aliquem, aut formam, seu privationem essentialem includeret: tunc actum alium ab ipso, quem includeret, nullum, nullamq; formam, seu privationem ab ea, quam sibi propriam & essentialem vindicaret, recipere posset: duae enim formae distinctae, similiter duae distinctae privationes, simul in eodem subiecto esse non possunt.

XLVII. Relatè Materia prima secundum Aristotelem

Flaminia, quæst. naturæ quæst. 2.

Zabar. de prima materia lib. 1. cap. 6.

Zabar. l. d. Aristoteles 7. divin. text. 8.

Mercenarius fol. 29.

Flaminio Cicerone, quæst. 2.

Zabar. l. d.

Aristoteles 2. phys. text. 15.

lem est *πρῶτον ὑποκείμενον ἐστὶν ἐξ ἧς γίνεται τι ἐνυπαρχαίτος μὴ κατὰ συμβεβηκός, εἴτε φθείρεται τι καὶ τὸ ἀφίζεται ἔσχατον*: hoc est: Materia prima est primum subiectum unius cuiusq; , ex quo fit aliquid, cum in sit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.

Aristoteles  
phys. 28. lib.  
1. cent. 28.

XLVIII. Hanc cum Aristotele rectè dicimus *ἀφθαρτον καὶ ἀγεννητον εἶναι*. Nam in generatione & corruptione necessum est aliquid subijci, circa quod generatio & corruptio quasi occupatur: At Materiæ nihil potest subijci, quia ipsa subjacet: non igitur generatur aut corrumpitur.

Scal. de sub.  
Exerc. 8.  
Zabar. de  
prima mater.  
lib. 1. cap. 6.

XLIX. Huic Materiæ separabiliter accidunt privatio & potentia particularis cum privatione coniuncta.

L. Privatio est absentia formæ à subiecto, quod aptum est ad eam recipiendam.

LI. Potentia verò cum privatione videtur re ipsa idem esse, & ratione tantum differre. Potentia enim primò notat aptitudinem: deinde absentiam formæ: Privatio verò *πρῶτως* denotat absentiam: *δευτέρως* aptitudinem.

*Tantum de Materia & Privatione: sequitur Forma.*

LII. Cum exquisita cognitio Formæ ex Metaphysicis sit petenda, satis nobis fuerit, si eam breviter attigerimus.

LIII. Est verò Forma principium essentiale, quo res differt, & per quod maximè consistit actio.

Zabarel. de  
mente huma  
na fol. 964.

LIV. Hinc dicitur *θεῖον τι*, id est, divinum quidam. Aristoteles enim in libris Metaphysicis facit *χωριστὰ εἶδη*, id est, formas quasdam separatas, quas alio nomine appellat *τῶν νόων*, atq; intelligentias: hasce cum ubiq; commendet nomine *τῶν θεῶν*, etiam ab hoc formam appel-



apellare voluit τὸ Ἰεῖον, quia qualibet forma, si eam a materia separari contingeret, esset natura, quæ multum communicaret cum illis formis separatis, quas vocat. L V. Deinde τὸ Ἰεῖον affectus est, ut sit perfectum: perfectum autem est illud, cui nihil ad sui absolutionem deest, hanc si non habet res Ἰεῖον appellari non poterit: atqui eiusmodi perfectio in forma est: eam enim si res possidet, nihil ei amplius adijci potest, ut fiat quod nondum sit: quin si habet formam, iam omne illud est, quod fieri potest, per naturæ suæ conditionem: quocirca perfectionis ratione non incongruè Forma appellari potest τὸ Ἰεῖον.

Zabar. de  
mente huma-  
nus 964.

### COROLLARIA.

1. An principia sint contraria. A.
2. An Materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis. A.
3. An Materia prima sit substantia. A.
4. Num detur actus entitativus Materiæ primæ. N.
5. An Materia prima sit per se quanta. A.
6. An potentia sit de essentia materiæ. N.



AD DOMI-

# AD DOMINUM RESPONDENTEM.

Amicum suum.



*Visquis Apollineas agnovit primitus herbas,  
Pæonos atq; cupit rimari splendida tempe:  
Hunc Physices hausisse decet fundamenta prima,  
Quæ potis est Phæbi penetrata pandere culta,  
Hinc raptavit amor Physicarum pectora rerum  
Usq; tua, ingenij specimen dum condis honestum,  
Defensasq; theses docto hoc sub præside lingua.  
Sic Venerandus avus, cuius facundia Athenas  
Æquat Cecropias, nulli pietate secundus,  
Cognoscei te degenerem non esse nepotem.  
Sed de Krentzhemidum præclaro stemmate natum,  
Sunt quoq; Cultores Phæbi, tibi sanguine iuncti,  
Arte Machaonia qui norunt fila tenere  
Parcarum, quorum extimulat te vivida virtus:  
Hi faciunt ut tu virtutis amore calescas.  
Macte age nunc dissolve strophas, quas docta propinat  
Turba tibi, paleas à granis disijce, mentis  
Lance Sophistarum convincas subdola texta:  
Sicq; reportabis velut à virtute coronam,  
Incubiture igitur studio huic, sis strenuus, insta  
Orando ad fouam, dabitur Bachmanne quod optas.*

Melchior Schmid Ligni-  
censis Silesius.



AD DOMINUM

99 7 243

ULB Halle

3



002 340 178



Nur für den Lesesaal







ΣΥΝΘΕΩ.

THEMATA PHYSICA.

DE PRINCIPIIS  
RERUM NATURALI-

UM EX SUMMI PHILOSOPHO-

rum libro περί φυσικῆς ἀκροάσεως πρι-  
μο ποτῖσιμόν δεπρόμια.

Quæ

D. O. M. A.

IN

Illustri VVitebergensium Academia

Sub præsidio

M. ZACHARIÆ SUMMERI  
Fridebergensis Sil.

Tutari conabitur.

HENRICVS BACHMAN KREN-  
tzhemianus Lignicensis Silesius.

Habebitur disputatio 4. Idus Julij horis  
& loco consuetis.

A. S. Respondente.

2